

Anni F. cur dicantur in columbas conversæ. *meatum, acceptis ab eo obsidibus ipsis filiabus, quæ postea dictæ sunt (ut arbitror) in columbas mutata, cum nihil amplius ex Delo mitteretur, omni frumento quasi à columbis jam consumpto. hæ enim aves plurimum frumenti consumunt.*

FAB. V. TALIBVS ATQVE &C.

De Orionis filiabus pro Thebanis immolatis, & duobus juvenibus ex earum favillis.

FAB. VI. ET VII. HACTENVS ANTIQVO &C.

De Judice Ambraico in saxum, & filiis Molossi in aves.

FAB. VIII. PROXIMA PHÆACVM &C.

De Polyphemo Galatææ amore capto, & de Aci in fluvium.

Cyclopes barbari & prædones: & unde dicti.

*In Sicilia olim fuerunt homines barbari & immanes ab orbiculato oculo Cyclopes appellati: nam Cyclos circulus, & Ops aspectus seu oculus dicitur. Orbicularis vero oculus in media fronte, significat formam galeæ, quæ apud veteres ita fiebat, ut rotundum foramen in fronte, tanquam fenestram haberet, unde eminebat ea pars faciei, quæ à confinio superciliarum oriens, infra nasum porrigitur. Ac verisimile est istos barbaros, quoniam erant prædones, exercuisse latrocinia ejusmodi galeis tectos, atq; inde nomen consecutos fuisse. Horum princeps fuit Polyphemus, cui monstrosa corporis moles rectè attribuitur. ea enim barbaris & feris moribus convenit. Cantilena ejus sumpta est ex undecimo Idyllio Theocriti: estq; generis partim demonstrativi, partim suasorii. ipse enim studens conciliare sibi amorem Galatææ, primum commendat ac laudat eam, si obse-*